27

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA,

SISTENS

BIGAM

PESSIMORVM ET RARIORVM AFFECTVVM

RHACHITIDEM

ET

SPINAM VENTOSAM,

QVAM,

VELIFICANTE NVMINIS SVPREMI GRATIA

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS SYNDICO ET CONSVLE,

AVTORITATE ET DECRETO GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI SENIORIS

DN. D. HERMANNI PAVLI JVCHII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLICI ET ARCHIAT. PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

VNA CVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS ANNEXIS LEGITIME ADIPISCENDO,

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

JOHANNES Traugott GEHLERVS, *Gorlicio-Lusat.*

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE X. SEPTEMBRIS, A. R. S. M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



PROŒMIVM.



TAntam esse immensi Numinis providentiam & sapientiam in conservatione immensi non solum orbis, seu Macrocosmi; sed ipsius quoque hominis, aut Microcosmi, quanta statim in prima horum origine, creatione puta ac formatione, emicuit & manifestata fuit omnipotentia, cuilibet, prima mundi principia & stupendum tam creationis, quam generationis opus attentioribus mentis oculis respicienti & consideranti, notissimum sane erit: Quicquid enim in vastissimo hocce mundi ambitu nostris obversatur oculis, ne ipsa quidem artificiosissima pariter ac fragilissima corporis nostri machina excepta, illud omne corruptioni & plenariæ tandem annihilationi obnoxium & expositum existit, quæ certe breviori temporis spatio sæpissime suboriretur & subsequeretur, nisi continua appositione novarum cuilibet subjecto

homogenearum materiarum, illa vel ulterius augerentur majorique robore obfirmarentur, vel ſaltem ſub notiſſimo *Nutritionis* actu in priſtino ſuo vigore quodammodo conſervarentur. Optime igitur & ſummo cum jure CHARLETONIVS *in Exercitat. ſuis de Oeconom. animal. Lib. I. §. 2.* aſſeruit, *nutritionem* nihil revera aliud eſſe, quam *continuam*, ſeu ſingulis momentis repetitam ac renovatam *generationem*, adeoque eandem æque neceſſariam eſſe ad individuorum, ac ipſa generatio eſt ad totius univerſi, ſeu ſpecierum perennitatem, cum alias corporis noſtri integritas ſeu congrua partium tam ſolidarum, quam fluidarum proportio, vix ac ne vix quidem perfecte ſubſiſtere queat, cum ita exquiſite ſemper adminiſtrari debeat hic actus, ut ordinarie in prima ætate plus humoris nutritii in partium ſubſtantiam convertatur, quam quidem abſumi ſolet, ex quo dein *augmentatio*, vel *accretio* proprie dependet; contra vero in conſiſtenti ætate non niſi tantum, vel paulo minus etiam, quam antea deperditum fuit, ad partes deferatur iisque aſſimiletur, quod *Nutritionem* in ſtrictiori ſenſu vocare ſolemus. Hinc etiam Dictator noſter COVS *Aphor. 14. Sect. I.* experientia edoctus non immerito dixit: *Quæ creſcunt, plurimum calorem innatum habent, & plurimo propterea indigent alimento, alioquin corpus conſumitur.*

Dolendum autem utique eſt, quod circa ſalutaris hujus & perquam neceſſarii nutritionis actus adminiſtrationem, plerumque tot tantique occurrant errores, admodum ſonticos & perquam noxios tandem effectus in ipſum ſatis debile humanum corpus inferentes & poſt ſe relinquentes, quorum illi præprimis peſſimi &

peri-

periculosissimi censentur, quando vel ob erroneam motuum directionem, vel ob graviora quædam impedimenta, maxime autem viscerum, secretioni & depurationi humoris nutritii destinatorum malam constitutionem, modo insufficienter & justo parcius totum corpus nutritur, adeoque *Macies* & *Atrophia* exinde producitur, modo etiam irregulari & plane confuso modo ad aliquas non nisi partes nimium quantum ordinarii talis nutrimenti defertur, & aliis injuste detrahitur, sicque hæ eximie contabescunt, illæ vero in præternaturalem & maxime magnitudinem excrescunt, quod in RACHITIDE potissimum fieri deprehendimus, ubi omnes fere nutritios succos ossa a carnibus suffurantur, dumque sic, ut Doctiss. HECQVETI verbis in *Tract. de purg. Medic. a curar. sordibus c. 28. p. 354.* prolatis utar, carnosæ partes macie horridæ sunt & alitura defectæ, succis nutritiis ita luxuriant osseæ, ut spatia non invenientes in brevi infantium corpore, intra quæ in longum crescant, arcuari cogantur, nimiaque alimonia exuberantes articuli, lympha seu sinovia turgentes in nodos exuberent.

Interim si modo unicum hoc ossa generatim, & spinam dorsi speciatim, premeret fatum, melius sane quodammodo constitutum esset cum tenellulis infantibus, utpote eidem maxime expositis; ast, iterum iterumque dolendum est, quod, præter hoc, quandoque aliud non minus sonticum, imo adhuc pejus malum, prædictas osseas corporis partes affligat, dum nimirum vel ob insignem universalem quandam Cacochimiam scorbuticam, vel ob specialem miasmatis cujusdam

 pere-

peregrini fermentativo-acris & caustici in certis partibus collectionem, aut eo factam translationem; ossa ibidem hærentia tacite arroduntur, exeduntur, corrumpuntur, destruuntur, eoque ipso alia simul maxime damnosa consectaria in ipsam corporis nostri vitalem Oeconomiam introducuntur, prout hoc turpissimus ille, SPINÆ VENTOSÆ titulo insignitus affectus, exactissime testatur. Cum ergo vix graviores magisque rebelles præ his, si præprimis tenellula infantum corpuscula occupaverint, in praxi clinica occurrant affectus, placuit propterea nequissimam hancce Bigam, loco speciminis Inauguralis paulo fusius, quantum per virium imbecillitatem licuit, explanatam, L. B. censuræ subjicere. Ut autem cœptis his nostris DEUS T. O. M. gratia sua clementissime adesse velit, devotissime nunc precor & exopto.

SECTIO PRIOR.

Theoriam Rhachitidis & Spinæ ventosæ tradit.

§. I.

Receptum hactenus & ad omnes res tractandas riteque exponendas summe necessarium ordinem observaturus, non immerito tractationem hancce a Nominum expositione exordior, ut, hac præmissa, tanto facilior dein & expeditior ad realia possit fieri transitus. *Rhachitidis* ergo vocabulum per consuetudinem quidem ad latinum forum tractum,

origi-

origine tamen non nisi græcum atque a sede principaliter affecta, *spina dorsi* nimirum unice desumtum est: Græcis enim ῥάχις *spina dorsi* & ῥαχίτης μυελὸς *medulla spinalis* dicitur; hinc Medici Angli, qui dirum hunc affectum primi in oris suis observarunt, quoniam insimul deprehenderunt omnium maxime sub eodem vel medullam hanc vel ipsam spinam affligi, speciatim ei nomen illud ῥαχίτης tribuerunt, quod quasi νόσος τῆς ῥάχεος seu morbus spinalis sit, quam ultimam denominationem etiam propterea quidam inter Latinos postmodum retinuerunt. Vulgari autem Anglico nomine the Rickets in hodiernum usque diem salutatur, quod tamen, unde originem traxerit, a quo & quam ob causam eidem impositum fuerit, penitus se ignorare fatetur GLISSONIVS qui peculiarem de hoc affectu conscripsit Tractatum, siquidem ita obscura est origo illa, ut nec vis vocis, nec intercedens aliqua cum aliis vocabulis affinitas eam indigitare valeat. Reliqua autem quod attinet synonyma, pauca admodum sunt, cum non nisi BONNETO *Tom. III. Thesaur. Med. Pract. Lib. V. pag. 671.* & BEOTIO *Tabes pectorea* vocetur, hanc procul dubio ob causam, quod sub irregulari in eadem occurrente nutritione pectus plerumque nimium quantum coarctatur, & contabescit; aliis etiam *Atrophia rhachitica* audit, quia simplicem Atrophiam inveteratam quandoque tandem excipit. Galli interim eundem *la Chartre;* Belgæ, den Lendenvang, & Germani, quia ipsis olim ignotus fuit hic affectus, ipsum a patria, ubi primum innotuit, denominare & propterea morbum Anglicum, die Englische Kranckheit, appellare solent.

§. II.

§. II.

Alterius autem affectus usitata denominatio origine latina, & potissimum ab urgentioribus ejusdem symptomatibus desumta est; *Spinæ* enim Etymologiam illi, qui verba potius, quam substantiva, pro radicibus habent, ab antiquo *spinare*, quod idem erat, ac *pungere* vel *claudere*, deducere malunt; NICOLAVS PEROTTVS autem in *Cornu copiæ latinæ linguæ p. 189.* vocabulum hoc a *spica*, quod ad spiculi similitudinem acuta sit spina, derivandum censet, licet in eo plane dissentientem habeat VOSSIVM, qui in *Etymol. lat. lingu. p. 486.* potius a græco σπίζειν, *extendere* vel *expandere*, ejus originem arcessit, quam sententiam, utpote prioribus probabiliorem, nunc quoque amplecti lubet. Quoad *Homonymiam* vero admodum πολύσημον est spinæ vocabulum, & non modo omne id, quod in plantis & fruticibus aculeatum est, denotat, sed & de plantis ipsis quandoque usurpatur, nec non apud PETRONIVM in *Satyric.* pro Dentiscalpio sumitur. Per metaphoram dein toti contextui vertebrarum & condylorum dorsum in corporibus animalium quorumcunque constituentium, per quem medulla abinde spinalis dicta, a Cerebro descendit, quoniam nimirum modo dictæ vertebræ utrinque exhibent processus spinis haud absimiles. Hæc autem omnia & reliqua, cum ad nos non pertineant, merito mittimus, quoniam non nisi de morbo quodam ossibus proprio, ideo maxime *Spinæ* titulo donato, nobis jam sermo est, quod acuto & pungitivo quodam dolore maxime sese prodat: Erat enim hoc Arabibus præcipue Medicis solenne, ut affectibus cum ejusmodi dolori-

loribus exactè conjunctis tale plerumque nomen tribuerint, prout hoc deprehendimus apud AVICENNAM, qui *Lib. IV. Fen. 3. Tr. 1. c. 1.* inflammationem vocavit spinam, quemadmodum MESVES hoc vocabulum speciatim de phlegmonico apostemate seu furunculo adhibuit.

§. III.

Nostro ergo affectui dum *spinæ* nomen imposuerunt prædicti Arabes, dubio procul respectum simul habuerunt vel ipsius *Generis* aut *rationis formalis*, quæ nonnisi in *Carie* consistit, qualis corruptio ac erosio in ossibus non solum quasi a rebus pungentibus introduci videtur, sed & ita depravare solet ipsa ossa, ut, ad instar lignorum cariosorum, spinis quasi perforata appareant; aut etiam attenderunt ad ejus *subjectum* principale spinæ dorsi nimirum, in qua hic affectus præcipue suam demonstrare solet sævitiam; hinc etiam melioris distinctionis ergo prædicatum *Ventosa* simul adjunxerunt, non quidem hac ex ratione, quod a materia ventosa vel flatulenta dependeat dirus iste morbus, sed potius ob excavationis modum, quia nimirum a tali erosione ossa quasi pervia & aëri recipiendo apta, aut vento plena redduntur, vel etiam vicinæ ac subjectæ partes inde non raro quasi in tumorem flatulentum attolluntur. Quoad *Synonimiam* tandem complures utique aliæ inter Autores prostant denominationes, quibus illi affectum hunc insignire solent: Arabes enim spinæ ventositatem, elata & figurata quasi dictione vocant; a Græcis τερηδὼν salutatur, ab usitato τερέω, *terebro, perforo*; SEVERINVS novo plane nomine ex tribus

vocabulis compoſito, παιδαρθροκάκη, i.e. *Puerorum ad articulos malum*, eundem donavit, licet injuſte, cum & adultos illo affligi notum ſit. Latinis denique modo *corruptio, excavatio*, vel *perforatio oſſis*, modo *ulcus oſſuoſum*, item *interna caries & internus oſſium abſceſſus*, audit, & a Germanis quibusdam der Wind-Dorn, appellatur, licet hoc nomen nec uſu valde tritum, nec ipſi affectui admodum adæquatum obſervetur.

§. IV.

A nominalibus autem definitionibus nunc ad reales deſcendentes RACHITIDEM merito definimus, quod ſit *nutritio depravata totius corporis, cum p.n. partium laxitate, inſignique macie, abdominis tumore & duritie, artuum, circa internodia inprimis, protuberantiis nodoſis, oſſium incurvatione, imo ipſa gibboſitate eximia conjuncta, a vitiis gravioribus tam ſolidarum, quam fluidarum partium potiſſimum inducta.* SPINA autem VENTOSA eſt *caries occulta, ſeu corruptio oſſium maligna, ab interna eorundem ſubſtantia initium capiens, tractu autem temporis ad ſuperjacentes partes progrediens, ibique tumorem ac dolorem admodum ſenſibilem producens & a ſero aliisque impuritatibus acido-acribus corrodentibus, huc congeſtis, & ſucceſſive corruptis, plerumque oboriens.*

§. V.

De *Rachitide* interim hoc ante omnia probe notandum erit, quod ex numero illorum ſit affectuum, qui veteribus vel in totum, vel ſaltem aliqua ex parte incogniti fuerunt & manſerunt, quoniam ſi ſcripta eorundem paulo attentius pervolvamus, nullum plane ibidem deſcriptum deprehendimus morbum, qui hujus

ideam

ideam perfectam, signa aut symptomata omnia exacte referat. Quantum ergo ex recentiorum Medicorum relationibus constat, prima vice hic morbus sub prioris seculi initium in Anglia, & ejus potissimum meridionalibus regionibus, Comitatu nimirum *Dorset* & *Sommerset*, innotuit; mox vero, pro more epidemicorum morborum longe lateque se dispersit, ut ipsum etiam Londinum, Oxonium, Cantabrigiam, aliasque australes Angliæ partes invaserit, donec tandem per integrum fere regnum in ipsam quoque Scotiam conterminam sese divulgavit. De hinc postmodum in Belgium & exinde in Galliam teste BOOTIO *de affect. omiss. cap.* 12. translatus est, ubi ingens utique numerus infantum quotannis hoc morbo interire solet. Tandem in nostris quoque oris infantum cunas occupavit, hodieque in nonnullis Germaniæ provinciis usque adeo frequens est, ut forte ipsi Magnæ Britanniæ non cedat, & non immerito pro gravissimo infantum hoste reputandus veniat.

§. VI.

Ex allatis autem definitionibus satis exacte nunc apparet, qualis inter hos affectus proprie intercedat differentia, cum, licet uterque suam maxime tragœdiam ludat in osseis corporis partibus, tamen *Rhachitis* illas tantum ad incurvationem & gibbositatem, *Spina* autem *ventosa* ad actualem corruptiooem & clandestinam cariem semper disponat, tandemque si ad statum consummatum ambo pervenerint, ille non nisi nodos & tubercula circa articulationes, hic vero pessimi moris ulcera producat & inducat. Ab *Atrophia* vero, cum qua pau-

lo exactius quidem convenire videtur prior affectus, facili tamen negotio distingui potest, cum non nisi consectarium quoddam ejus constituat, eamque si inveterata fuerit, demum excipiat; & sic supremum quasi ipsius gradum constituat. Parili quoque modo ab Arthritide vera ac perfecta, pariter nodos ac tubercula circa articulos, partiumque contracturam & aridaram tandem inferente, facile distingui potest modo dicta Rhachitis, quoniam in illa semper exquisitissimi & acutissimi dolores, in hac vero inaequalis & confusa tantum nutritio una cum suspectis viscerum atque humorum vitiis potissimum inculpa esse solet. De reliquo Rhachitis in se spectata etiam quoad *gradum*, *durationem* & *symptomata accedentia* variare solet, dum modo *levior* seu *incipiens* & adhuc sanabilis, simulque paucioribus & mitioribus symptomatibus stipata est; modo etiam *consummata gravior*, vel curatu difficilior est, ob conjuncta plura ac vehementiora symptomata, omnium nempe partium immobilitatem & flacciditatem ossium & spinæ dorsi extremam incurvationem, summeque difficilem respirationem &c. utique pejor atque pertinacior existit.

§. VII.

Spina autem *ventosa* inprimis probe distinguenda est a simplici *Carie* ossium, puippe quæ ordinarie in externa superficie ossium, præsentibus jam jam externis ulcerationibus, originem suam sumit, & abinde rodendo introrsum versus meditullium ossium pergit; cum e contrario in nostro affectu talis corruptio semper in interioribus ossium partibus exoriatur, citra prægres-

sam

ſam qualemcunque externam ulcerationem, poſtmodumque extrorſum verſus ſe ſe extendat, eoque ipſo demum maligna ejusmodi ulcera introducat. Differt interim ipſa hæc ſpina ventoſa potiſſimum quoad *gradus*, quorum tres plerumque a Practicis eidem aſſignantur: *Prior*, ubi corruptio adhuc *exacte intus occluſa* eſt, ſub quo ordinarie dolores ita dicti *ſpinoſi* quaſi meditullio oſſium perſentiſcuntur, qui tamen ſub externo contactu partis affectæ nondum exacerbantur; *medius* in quo corruptela manifeſte apparet & in conſpectum prodit, ſimulque præcipue *tumorem* quendam *ſpongioſum* aut quaſi *ventoſum* format; & tandem *ſupremus*, quando hic ipſe modo-memoratus in *actuale* fœtidum & cacoethicum *ulcus* degenerat, ſub quo nil niſi ſerum quoddam acre circumjacentes partes ſucceſſive depaſcens, ſub univerſali totius corporis emaciatione, prodire ſolet.

§. VIII.

Datur proinde etiam alia ſpinæ ventoſæ differentia, quæ deſumitur a *Genere* ſeu *Corruptione*, quippe quæ vel major vel minor, periculoſa, minus periculoſa aut etiam periculoſiſſima eſt: Licet enim in genere omnis oſſium caries mali-moris ſit & ad eorum *νέκρασιν* tendat, ſimulque præſentiam humoris maxime depravati arguat, tamen una præ altera pejor atque malignior obſervatur, & modo brevi temporis ſpatio oſſium ſubſtantiam exedit atque abſumit, modo lentis tantum progreſſibus eosdem corrumpit. Porro quoque differentia quædam deſumitur a *ſubjecto*, ſeu ipſo oſſe affecto, prout nempe turpiſſima hæc corruptio

modo ossa nobilioris & sensibilioris, modo etiam ignobilioris cujusdam partis occupare solet: si enim in spina dorsi, ossibus cranii, palati, maxillarum, ischii & coxendicum occurrat, gravior semper & pejor censenda est, quam si in carpi & tarsi aut pedum & brachiorum ossibus prodeat. Tandem etiam quoad ipsam *causam* communiter differt, dum modo a prægressa vel adhuc concurrente Lue venerea, modo a scorbuto, vel qualicunque alia graviori cacochymia & humorum dyscrasia producitur, modo etiam alios hujus generis contagiosos morbos sequitur, aut etiam quædam ulcera maligna & cacoëthea jam jam præsentia comitatnr.

§. IX.

Reliquas horum affectuum ab aliis congeneribus differentias & distingnendi modos, inprimis qua ratione a phthisi pulmonali, renali vel uterina, item hectica, marasmo senili aut partium aridura, speciatim differat *Rhachitis*, lubentes jam mittimus, quoniam facillimo utique modo in quantum ab iisdem recedat, cuilibet attentius illos consideranti innotescere potest; hinc ad *Historiam* hujus affectus & signorum enumerationem potius nos convertimus, cumque eundem non nisi progeniem Atrophiæ consummatæ esse per experientiam cognitum jam jam sit, in ordinariis hujus morbi signis, Rhachitidem tali ratione præcurrentibus, enumerandis nullo prorsus modo operosi erimus, cum aliunde & satis abunde cuilibet fere hæc ipsa pateant, sed potius ad essentialia & ipsam illam Rhachitidem proxime concomitantia signa progredimur,

ini-

initium perlustrationis ipsorum in capite facientes, quod ordinarie valde magnum & grande apparet, cum facie prætumida, colorem tamen sic satis vivacem exhibente; quæ vero sub capite collocatæ sunt partes, collum nempe una cum externis musculosis, nimium quantum flaccescunt, ita ut caput erectum servare, brachia attollere pedibusque insistere vix ac ne vix quidem possint. Cutis etiam ac reliqua totius corporis caro admodum laxa & flaccida apparet, tantaque postmodum debilitas & enervatio omnium externarum partium & speciatim spinæ dorsi subsequitur, ut corpus vix sustineri queat, pedesque ac brachia vigore & tono suo prorsus destituta, hinc inde labantur atque vacillent.

§. X.

Sub his circumstantiis postmodum abdomen communiter magis magisque induratur & intumescit, ut prætumidum nimiumque expansum appareat, & tandem ossa, inprimis tibiæ & quandoque etiam cubiti circa apophyses & epiphyses suas intumescunt, & in medio successive incurvantur, quale quid etiam ipsi spinæ dorsi tandem evenit, quæ propterea vario modo contorta apparet, quemadmodum etiam costae in illa parte, ubi cum sterno connectuntur, nodosae fiunt, ex quo insolita sterni protuberantia, pectoris coarctatio & in posteriori ejus parte gibbositas postmodum exoritur, quae respirationis functionem gravissime laedit & impedit ac in plenarie asthmaticum statum aegrotantes tales conjicit, qui dein, crescente aetate' insignem quidem voracitatem exhibent, nihil vero inde

de utilitatis, quoad negotium nutritionis, accipiunt, quin potius accedente febre hectica aut etiam Diarrhoeis chronicis magis magisque languescunt & extenuantur, ut tandem non nisi viribus omnibus destitutum principium vitale, corpus ita extreme emaciatum & prorsus fere exsuccum deserere cogatur, in quo dein non nisi membranae rubedine tinctae, loco musculorum, inter secandum Anatomico tale corpus forsitan post mortem examinanti, apparent, quandoque etiam circa lumbos ulcera fistulosa, praeprimis quando Rhachitici tales per aliquod tempus adhuc in vita perstiterunt, ab universali humorum dyscrasia acri & fermentativa producta, observantur.

§. XI.

Evolutis nunc signis Rhachitidis, propius ad ejus *ætiologiam* accedendum, & quaenam proprie *causæ* truculentum hunc affectum producant, disquirendum merito erit. *Immediatam* igitur & *proximam causam* constituit nutritio inæqualis, turbata & prorsus erronea, ob graviora quædam impedimenta & obstacula a principio vitali & supremo motuum quorumcunque ad corporis œconomiam spectantium directore, ita confuse administrata vel prorsus neglecta. Ex his vero impedimentis primarium & principale utique est obstructio gravior circa Mesenterium, Pancreas & Hepar contingens, quæ ipsa insimul *causam mediatam propinquiorem* constituit. Mesenterium enim præ omnibus reliquis visceribus facillime obstructionibus expositum esse, structura ejus a priori & experientia a posteriori comprobant. Siquidem exilissima & simul copiosissima

ma ibidem reperiuntur vaſa, in quibus liquida quodammodo jam jam viſcidiora levibus ex cauſis ſtagnare ſicque obſtructionem formare poſſunt, ſub qua dein glandulæ meſeraicæ ac connexæ pancreaticæ magis infarciuntur & diſtenduntur tandemque ſcirrhoſam & quaſi ſteatomaticam acquirunt magnitudinem, non excluſo etiam Hepate, quod pariter ob difficilem ſpiſſioris lymphæ tranſitum & reſtagnationem modo ad infarctus vel ſcirrhos diſponitur, modo etiam in ingentem molem excreſcit & expanditur, eoque ipſo p. n. illum tumorem ac duritiem abdominis producit, dum interim Meſenterium nimium ibidem auctum & expanſum, in ſuperioribus lumborum vertebris, cum quibus firmiter connexum eſt, hac ſua mole vel levem quandam ſubluxationem producit aut ſaltem tantis per easdem de ſede ſua dimovet, ſicque ad gibboſitatem & ſpinæ dorſalis incurvationem reliquorum oſſium, inprimis confuſa & irregularis eorundem nutritio, muſculis interim & ligamentis debito nutrimento deſtitutis, plurimum contribuit, quoniam tunc illa magis elongantur, hi verò abbreviantur, adeoque impediunt, ne in recta linea ulterius ſe expandere queant.

§. XII.

Cauſam mediatam remotiorem conſtituit utique p. n. Lymphæ viſcoſitas, craſſities & tenacitas, ex ſanguine ſpiſſiori aliisque heterogeneis impuritatibus nimium inquinato præcipue enata & ad inducendas modo memoratas viſcerum obſtructiones potiſſimum apta. Ad *cauſarum* vero *occaſionalium* claſſem optimo jure referenda eſt 1) *diſpoſitiò hæreditaria*, cujus intuitu infantes a

C pa-

parentibus ſcorbuticis, cachecticis, phthiſicis, aliove vitio ſanguinis & humorum laborantibus geniti, plerumque mali hujus originem ex utero matris arceſſunt, idque tanto certius, ſi hæc durante graviditatis tempore vel quotidie graves in diæta committit errores, & alimenta nec debita quantitate, nec qualitate, nec etiam tempore convenienti aſſumit, ſicque proprios pariter ac ipſius fœtus humores nimium quantum corrumpit, aut ſemper otioſa quieſcit, aut vinoſis vel ſpirituoſis potulentis abutitur, aut gravioribus denique animi pathematibus perturbatur, prout hoc teſtatur exemplum in *A. N. C. Dec. III. 9. & 10. Obſerv. 233.* relatum, de gravida quadam, aſpectu mendici cujusdam manibus pedibusque mutilati, terrore perculſa, infantem poſtmodum Rhachitide monſtroſa laborantem enixa. Poſt partum dein multum quoque huc contribuunt 2) *vitia nutricum* vel *morboſarum* v. g. ſcorbuticarum, venerearum &c. morboſam ejusmodi ideam & diſpoſitionem tenerioribus infantibus præmature imprimentium & communicantium, quæ dein, pauliſper degenerando, facile Rhachitidem inducere valet; vel etiam nimis *luxurioſarum*, variisque voluptatibus tam quoad diætam, quam reliquum vitæ genus indulgentium. Porro etiam 3) in infantibus ipſis modo diſpoſitionem illam connatam ulterius actuant, vel etiam de novo talem morbum producunt & excitant *vitia* quoad uſum *rerum nonnaturalium* commiſſa, ex quibus inprimis admodum noxius eſt *Aër* frigidus, humidus, nebuloſus, ac pluvioſus, qualis in locis maritimis, paludoſis, & pluviis imbribusque obrutis, nec non cubi-

culis

culis humidis & frigidis copiosius occurrit & attrahitur, dumque sanguinem plus justo inspissat ac viscidum reddit, motum ejus retardat & transpirationis successum impedit, necessario nutritios humores depravare & pituitosorum crassiorum abundantiam producere solet; quale quid etiam ab *alimentis* quantitate & qualitate peccantibus itidem expectandum est, quippe quibus plerumque etiam ita obruuntur & quasi infarciuntur infantes, ut digestio eximie inde lædatur, adeoque variæ cruditates pituitosæ, putridæ & acres relinquantur, quæ, si ad massam humorum postmodum delatæ fuerint, necessario horum mixtionem corrumpunt, sicque ad inducendas viscerum obstructiones eosdem idoneos reddunt. Nec excludenda etiam ex hac classe sunt *animi pathemata*, *somnus* & *vigiliæ* & *motus* ac *quies*, quippe quæ partim turbando salutares motus vitales, partim etiam depravando humorum crasin & debilitando corpora talia cœteroquin imbecilliora, suum quoque symbolum ad producendum hunc affectum conferunt, quod etiam de *excretis* & *retentis*, debito modo non respondentibus, maxime autem alvi diuturnioribus adstrictionibus vel profluviis, valere autumo.

§. XIII.

De reliquo paucis tantum adhuc notare convenit, quod *subjectum universale* truculenti ejus affectus potissimum constituant infantes tenelli, quippe quibus primis post partum mensibus, aut saltem primo vel secundo anno, rarius tertio, concurrentibus prædictis causis, ille supervenire solet, quoniam tunc ipsorum partes

ſolidæ & oſſeæ laxiores & molliores, imo ſubſtantiæ tantum quaſi membranaceæ, eaque propter ad figuram irregularem admittendam aptiores ſunt; quod autem pro *ſubjecto cauſæ morbificæ* generatim primas vias (ſub quarum titulo tam chylificationis, quam bilificationis organa comprehendimus,) non niſi agnoſcamus; ex ſuperioribus jam jam liquet. Interim quoad *Prognoſin* equidem non abſolute lethalis eſt hic morbus, cum quandoque ætatis beneficio, Naturæ autocratia & mediantibus aliis benignioribus quibusdam morbis, v. g. febribus, ſcabie, Achoribus, Variolis, &c. &c. eundem, ſi modo recentior fuerit, plenarie profligatum fuiſſe, teſtentur Practicorum obſervationes; aſt, ſi ante partum, vel etiam ſtatim ab illo, præſente nimia partium mollitie, invadat, nec non ſi alios periculoſos & ſonticos morbos, vel ſubſequos, vel comites habeat, e. g. Phthiſin, Hydrocephalum, Paralyſin, dentitionem difficilem, &c. &c. item, ſi partes nimium extenuatæ, ſpina dorſi debilior, capitis vero moles & oſſium tumores enormiores appareant, horumque contractura & incurvatio nimium augeſcat; porro, ſi dentes nigreſcant & excidant, aſthma grave aut epilepſia superveniat, peſſimus ſemper eventus pertimeſcendus erit; cum e contrario, ſi tuſſis clangoſa, tanquam conatus validior Naturæ, materiæ peccantis eliſionem urgentis, adfuerit, ſi ſcabies & puſtulæ, pruritus univerſalis, aut etiam furunculi hinc inde in corpore obſerventur, ſi unice ab aëre victusque ratione obortus fuit hic affectus, ſi paulo diutius a partu, aut poſt prægreſſas etiam febres originem ſuam ſumſit, majo-

rem

rem utique ſpem felicioris reconvaleſcentiæ concipere liceat; in iis autem, qui ante annum quintum vel ſextum ab hoc morbo non liberantur, ſpes omnis plane decollat talesque poſtmodum ætates ſuas ac vitam miſerrime communiter exigere coguntur.

§. XIV.

Signa *Spinæ ventoſæ* quod attinet, ea quidem ſi in principio adhuc conſtitutum ſit malum, admodum dubia & obſcura ſunt, ut vix certo tunc determinari illud queat; Unicum enim & præcipuum horum eſt dolor membri ὀστεκόπος, laſſitudinem ejusdem referens & nonnunquam puncturæ ſpinæ inſtar illud divexans, atque ex roſione vaſorum membranaceorum in oſſe dependens, prout optime annotavit MERCLINUS *in Notis ad Pandolphini Tr. de ventoſ. Spinæ cap. 3. & 6.* concurrente ſimul in ſubjectis inſolita ſomnolentia, languore, pallore atque laborum & exercitiorum corporis impatientia. Interim aliquando etiam ne hoc quidem ſignum adeſt, adeoque tunc demum affectus iſte manifeſtatur, ſi humor acris, corroſa oſſium ſubſtantia ipſum perioſtium aggrediatur, ubi certiſſime dolores tales, admodum ſenſibiles & moleſti, ſe ſe exerunt, quos dein excipit tumor, pro congeſtorum humorum & afflictarum partium diverſitate, modo mollis & oedematoſus, modo etiam durus, inæqualis & variæ admodum figuræ, licet etiam quandoque, qui ab initio laxior apparebat, cum tempore itidem magis indureſcat & ſchirroſus evadat. Tandem, ſi collecta & ſtagnans ibidem materia acrior fibrillas etiam muſculares partium oſſi incumbentium abſumſit, tunc in actualem inflammationem & exulce-

 ratio-

rationem plerumque tranſit, ſicque peſſimæ indolis ulcus, ſaniem, ſeu ichorem fœtidum, lividum, modo tenuem, modo ſpiſſiorem, ſemper tamen ſatis copioſum fundens format, ſub quo dein caries hactenus abſcondita, vel mediante ſpecillo inveſtigari poteſt, vel aperte ſeſe prodit, dum nimirum os fuſcum, vel nigrum, aſperum & inæquale, undique eroſum & quandoque in tenax, viſcidum & quaſi oleaginoſum magma penitus reſolutum, deprehenditur, ubi dein, ſi unicum non niſi oſſiculum corruptum, aut at minimum in grandiori quodam Caries iſta non admodum late diffuſa fuerit, per longum ſatis temporis ſpatium in tali ſtatu perſiſtit malum, quale exemplum mihi quoque de puella ſexenni nunc per duos fere annos tali ſpina ventoſa laborante & peſſima ejusmodi ulcera in brachio & pede gerente, eaque propter opem & auxilium meum efflagitante, in Praxi obtigit; quando plura ſimul eroduntur oſſa, aut debitus impuritatibus iſtis acrioribus denegatur effluxus, aut per inconvenientia remedia malum exacerbatur, tunc febris ſecundaria, hactenus quoque ſimul præſens, pariter augetur, tandemque in lentam & hecticam tranſit, viresque hac ipſa & dolorum ſimul diuturnitate exhauriuntur, & tandem Mors, ultima rerum linea, hanc tragœdiam funeſto exitu claudit.

§. XV.

Quod interim *ſubjectum principale* turpiſſimæ hujus corruptionis *Oſſa* conſtituant, quilibet certe, vel me tacente, ex modo dictis colliget; aſt, licet nullum fere in toto copore occurrat os, quod perpetuam ab hoc malo immunitatem ſibi polliceri poſſit, cum omnium

cadem

eadem ſit ſubſtantia eademque textura, tamen quædam horum frequentius præ reliquis tali labe deturpari obſervantur, inprimis autem articuli pedis & brachii, in quibus ſæpius illa occurrit, quemadmodum etiam, ſi alia oſſa adoriatur, communiter magis eorundem apophyſes & extremitates, quam ipſum corpus durius, afficere ſolet. *Adæquatum* vero hujus affectus *ſubjectum* ſiſtit ipſum Perioſtium, una cum reliquis os eroſum cingentibus partibus, quippe quæ, corrupto demum illo oſſe, itidem aggrediuntur & abſumuntur, ut poſtmodum vera illius formalitas & indoles tanto facilius cuilibet pateſcat.

§. XVI.

Ratione ætiologiæ utique, pro *Cauſa immediata & proxima* peſſimus hic morbus agnoſcit ſerum acre, acidum & corroſivum, cum aliis impuritatibus virulentis ac fermenteſcentibus commixtum atque vel in corpore ipſo & tota humorum maſſa oberrans ac ad ſpecialem partem tandem delatum, vel in eadem etiam ſolitarie productum atque collectum, utpote inducendæ poſtmodum tali ſuſpectæ partium duriorum corruptioni aptiſſimum: quod enim in ipſa ſanguinis maſſa quandoque accerrimum tale ſerum aberrare & poſtmodum hinc inde graviſſimas partium ſolidarum eroſiones inducere valeat, non ſolum in Scorbuto & Lue venerea conſummata ſæpiſſime demonſtrant ſponte oborientia peſſima ulcera, ſed confirmant hoc etiam ſpecialiora exempla, tam in A. N. C. quam a BONNETO *in Med. Septentr. Part. II. Lib. II. Sect. 2. Obſ. 2.* recenſita, ut & urinæ ſcorbuticorum linteamina plenarie corroden-

rodentes, quales DORINGIVS *in Tr. de Scorb. p.109.* & SENNERTVS *Tr. de Conf. & Diff. Chym. p.16.* ſe vidiſſe aſſerunt. Quod autem ex ſola quoque ſtagnatione particulari in aliqua regione, temporis ſucceſſu humores inſignem talem acrimoniam concipere queant, comprobat non modo caries oſſium ſimplex, ex longiori mora materiæ ſanioſæ ulceri diutius inhærentis & oſſibus ipſis incumbentis, producta, ſed & ipſi fonticuli, qui quandoque materiam usque adeo acrem plorant & fundunt, ut cutem, imo oſſa erodat, referente HORNIO *in Microt. p.181.*

§. XVII.

Cauſa mediata proximior hujus corruptionis vel generatim, in impetuoſiori quadam humorum lymphatico-ſeroſorum verſus aliquam partem congeſtione & inde poſtmodum ſubnata ſtaſi diuturniori, vel ſpeciatim, in collectione, feceſſione & translatione ſeri acrioris fermentativi, aut ſpecifici cujusdam miaſmatis peregrini, acrioris & cauſtici, conſiſtit, ubi plerumque mediantibus ſubtiliſſimis arteriolis, ſanguinem pro nutritione oſſium neceſſarium advehentibus, ad horum ſubſtantiam poroſam & cavernoſam corruptus talis humor defertur ibidemque auctiorem diſſolutoriæ & corroſivæ ſuæ indolis gradum nactus, tandem ipſam duriorum iſtarum partium ſubſtantiam ab intra extrorſum verſus erodere, hacque ratione ipſam ſpinam ventoſam excitare ſolet: Quænam vero *cauſæ* humoribus vitioſam talem qualitatem potiſſimum concilient, aut ad acrioris ejusmodi ſeri collectionem & translationem ſpecificam diſponant, ſicque *mediatæ remotio-*

res

res aut *occasionales* existant, nunc quoque paucis disquirendum erit.

§. XVIII.

Ex naturalium rerum censu igitur suum huc confert Symbolum Temperamentum Cholericum & Melancholicum, *ætas* tenerior *puerilis*, aut etiam quandoque juvenilis, nec non sexus sequior, ob humorum abundantiam, partium laxitatem & ossium minorem firmitatem atque duritiem, ubi tamen subjecta virilia, aut provectiori ætate constituta, propterea non penitus excludimus, quippe quæ etiam quandoque, licet rarius quam priora, huic affectui itidem subjiciuntur: Nec omittenda etiam est *dispositio hæreditaria*, quippe quæ, uti ex observatione SENNERTI *Lib. V. Prax. Part. II. cap. 17.* in quibusdam familiis infelix hæreditariorum ulcerum mater existit, sic & hujus pessimæ corruptionis prima fundamenta facillime ponere potest, idque tanto magis & certius, si infantes in utero humoribus jamjam vitiatis, acribus, viscidis, scorbuticis, ex lue venerea vel alio graviori quodam morbo jam jam contaminatis, nutriti fuerint. Quoad *res Non-naturales* autem multum contribuunt *cibi* particulis salinis, acidis, viscidis, muriaticis ac fermentescentibus nimium turgentes simulque copiosius ingesti, nec non *potulenta* acida, tartarea & fæculenta, imo ipsa spirituosa largius hausta; quid *somnus* frequens & diuturnus & quies nimia, unacum ordinariarum *excretionum*, maxime autem transpiratoriæ, menstruæ ac hæmorrhoidales turbatione ac suppressione, concurrentibus simul *animi pathematibus*, ad inducendam gravissimam humorum dyscra-

 siam

ſiam conferre valeat, per experientiam notiſſimum jam eſt; hinc paucis tantum, quænam ex *rebus præternaturalibus* ad hanc cauſarum claſſem referendæ ſint, adhuc allegabimus, hasque inter primo loco ponimus *obſtructiones viſcerum colatoriorum*, collectioni & retentioni quarumlibet, maxime autem ſeroſo-ſalinarum impuritatum vel maxime faventes, nec non ſubnatam exinde *Cacochymiam ſcorbuticam*, ubi ſummus & copioſiſſimus talium impuritatum proventus obſervatur, cui ad latus ponimus *Luem veneream*, fœcundiſſimam ſed ſimul nequiſſimam talium corruptionum matrem. Nec excludendi etiam ſunt ipſi *morbi acuti*, ſpeciatim Variolæ, Morbilli & Petechiæ retrocedentes, ubi quandoque etiam, licet rarius, acrimonia talis maligna verſus oſſa translata, ibique in ſtaſin prolapſa ſpinam ventoſam excitavit, quæ tanto frequentius *Pernionibus* & *Gummatibus venereis* ſupervenire ſolet, præprimis ſi hæc ultima cum in- & externis mercurialibus inconvenienter tractentur. Ab *oſſium* autem *fracturis*, *contuſionibus* & ſpeciatim *luxationibus* peſſimum hunc affectum quoque induci teſtis eſt AVICENNA *Lib. IV. fen. 5. tract. 1. cap. 25.* præprimis ſi harum curatio & repoſitio tardius inſtituatur.

§. XIX.

Prognoſin quod ſpectat, utique ſpina ventoſa hujus intuitu malum eſt graviſſimum & a multis plane incurabile cenſetur, quoniam, ſi partis conditio non ferat, ut oſſa corrupta abſcindi queant, ſicque eorruptio ulterius ſemper progrediatur, plerumque tandem mortem infert miſerrimam. Inprimis autem hæc circumſtan-

tia

tia eximiam, circa ejus curationem, parit difficultatem quod debito tempore & quidem in primo ſtatim principio, huic malo rariſſime occurrere queamus, quoniam ut ſupra jam monuimus, tunc vel nulla plane vel ſaltem obſcuriora ſui indicia præbet. Interim, ſi recens fuerit, ſi talem occupaverit oſſis regionem, quæ nervis atque tendinibus non admodum copioſis obſita eſt, ſi minor ſit & breviori ambitu circumſcripta corruptio nec nimis copioſam aut nimis fœtidam & fundere continuet materiam, ſi morbus non admodum gravis præceſſerit & eundem affectum introduxerit, ſique vires quodammodo adhuc conſtiterint, meliorem ſemper ſpem de faciliori ac feliciori cura concipere licebit, quam ſi contrario modo hæc omnia ſe habent: Tunc enim ſi præcipue febris ſimul, cum aridura partis affectæ, vel plenaria corporis contabeſcentia ſupervenit, ſi dolores nimium quantum augentur & continuantur, ſi agrypniæ deliria & convulſiones accedunt, mortem plerumque ante limina ſtare certiſſimum eſt.

SECTIO POSTERIOR.

Rhachitidis & ſpinæ ventoſæ therapiam monſtrat.

§. I.

EXpoſitis jam iis, quæ proprie ad Morborum iſtorum graviſſimorum cognitionem ſeu Theoriam pertinere viſa nobis ſunt, reliquum adhuc eſt, ut disquiramus, quomodo Curatio eorundem inſtituenda

da & adornanda ſit. Cum ergo *Rhachitis* ſuam potiſſimum originem ex graviori viſcerum, chylificationis negotio potiſſimum inſervientium, obſtructione humorumque nutritiorum dyſcraſia & depravata qualitate, ſumat, ante omnia eo invigilandum erit, ut convenienti ratione & methodo hæ cauſæ removeantur, eaque propter ſequentes potiſſimum obſervandæ erunt indicationes. *I. Ut primæ viæ ab inhæreſcentibus ſordibus & heterogeneis impuritatibus debite repurgentur; II. Obſtructorum viſcerum reſeratio & apertio omni modo promoveatur: III. M. S. a viſcoſitate & acrimonia p. n. liberetur, ſicque æqualis & conveniens partium nutritio reſtituatur,* ac demum *IV. Partibus externis incurvatis conſtrictis priſtina ſua mobilitas, activitas & vigor reſtituatur ſimulque viſcera hactenus afflicta roborentur.*

§. II.

Primam indicationem generatim abſolvunt remedia *evacuantia* tenerioribus hiſce ſubjectis convenientia & proportionata, collectasque tam in ventriculo, quam inteſtinis impuritates modo per ſuperius, modo per inferius guttur proſcribentia, e quibus tamen poſteriora præ prioribus ſemper tutiora judicamus, licet illa propterea haud penitus excludamus, cum in ſubjectis paulo adultioribus & vegetioribus, in quibus graviores forſitan circa diætam prægreſſi fuere errores, adeoque copioſiorem ſaburram in ventriculo deliteſcere certiſſimum eſt, ſatis egregium utique exerant effectum, & tunc non niſi mitiora, quorum doſin prudens Medicus pro ratione ætatis, variare poteſt, ſeligere convenit, qualia ſunt ſyrupus flor. Perſic. emeticus Angeli Salæ, Oxy-

Oxymel Squilliticum, ſperma Ceti c. 🝆 Amygd. dulc. ſolutum, Rad. Ipecacuanh. aut etiam tertia vel ſexta pars grani de Tart. emet. Mynſ. e. Syrupo aliquo remiſcenda. Ex purgantibus itidem leniora præferenda ſunt, quo repetito uſu, pro virium & circumſtantiarum aliarum ratione, paulo diutius continuari queant, quoniam canalis inteſtinorum ab inhærentibus & poros vaſorum lacteorum in tunica villoſa obſtruentibus viſcoſitatibus pituitoſis minime uno actu & impetu liberari ac repurgari poteſt. Convenit autem pro hoc ſcopo inprimis ☿ius dulc. rite præpr. paucis granis cum ſyrupo de Cichor. c. Rhab. vel de ſpina Cerv. vel de Manna vel roſar. ſolut. exhibendus, quippe qui inſimul tenaciores humores colliquat & glandularum meſaraicarum obſtructionem modeſte reſerare adjuvat; cui vero hic non arridet, poterit Mannam depuratam vel 🝖iſatam, Rad. Gialap. cum pauco ſcammon. ♁to acuatam, aut Infuſum aliquod Rhabarbarinum, vel Decoctum Fol. ſenn. adjecto ſem. quodam carminativ. correctum, vel etiam tantopere deprædicatum ab aliis Decoctum Lini cathartici Anglicani ſubſtituere, hisque interdum, ſi modo ſubjectis commode propinari poterunt, ⊖ia digeſtiva, inprimis 🝖iſata, vel in ſicca, vel in ſoluta forma interponere aut ſi nulla prorſus interna admittant nauſeabunda ejusmodi ſubjecta, tunc adminimum Clyſteres abſtergentes & alvum leniter ſtimulantes, ex Radic. Malv. Lil. alb. Caryophillat. Lapp. maj. Herb. ☿ial. Parietar. Fumar. Cent. min. Flor. Samb. Chamom. Semin. Aniſ. Fœn. græc. Vitell. ovor. 🝆 ex-preſſ. Rut. Aneth. Irin. & Elect.

 lenit.

lenit. Florent, parandi, quandoque applicari poterunt.

§. III.

Quoad *alteram indicationem* obtenta repurgatione qualicunque primarum viarum conveniunt dein temperantia, diluentia, reſolventia & abſtergentia, quoad diverſitatem ætatis ſubjectorum diverſimode etiam ordinanda & propinanda, ita, ut infantibus adhuc ſugentibus & nihilominus ſigna incipientis dirioris hujus morbi exhibendibus pauciora quidem, ſimul vero etiam matri aut nutrici lactanti appropriata & intentionem hanc promoventia ordinentur medicamenta, quo titulo illis bis vel ter de die aliquot guttulæ Eſſ. Gent. rubr. C. B. Pimpinell. alb. Trifol. fibrin. aut Eſſ. alexipharm. temperatæ, his vero, præter ſimiles Eſſentias etiam TRa ♁ii acr. vel ♀i, Eſſ. Succin. Liq. ∇æ fol. ♀ri, &c. conveniunt, interpoſitis, vel Infuſis ex Rad. Pimpinell. alb. Trifol. fibrin. Serpentar. Virgin. Ononid. Chinæ, Polypod. Herb. Scolopendr. Marrub. alb. Cuſcut. Fumar. Trifol. fibrin. Meliſſ. ſummit. Centaur. min. additis Fibr. Helleb. nigr. Fol. ſenn. Rhabar. or. & ⊖e ♀i, vel etiam Decoctis, ex Rad. Scorzoner. Sarſaparill. Chin. Oxylapath. Herb. Veron. Agrimon. Marrub. alb. Beccabung. Hepat. nobil. Hed. ∇ſtr. Lign. Saſſafr. Guajac. Sem. Fœnicul. & Cort. ⊙nt. parandis, & matutinis pariter ac veſpertinis horis convenienti doſi propinandis, de quibus etiam, ſi non usque adeo delicatæ indolis fuerint ipſi infantes, ut ejusmodi medicamenta plane reſpuant, itidem moderata doſis illis exhiberi poteſt, quoniam talia optimum ſemper & ſecuriſſimum,

præ

præ reliquis, exſerere ſolent effectum. Quod ſi vero uſum illorum patientes etiam quodammodo adultiores faſtidiant, tunc ad minimum his TRa ♄ii vel ♀i cum Eſſ. Pimpinell. alb. remixta, item Arcan. ♀i liquidum Liq. ∇æ fol. ♀i omnesque Eſſentiæ amaræ, in doſi proportionata ordinari debent, non omiſſis ſed potius, quantum fieri poteſt, ſæpius repetitis pulveribus digeſtivis, ex Cremor. & Cryſtall. ♀ri, Arcan. dupl. ♀o ⊕at. vel ♀iſat. Hepat. rubr. Dreſd. ⊖e Anglic. vel digeſt. Sylv. Sach. lactis &c. parandis, qualia etiam Potionibus ex ▽is diapnoicis concinnandis & cum Syr. domeſt. modeſte edulcorandis, inſimul addi, ſicque forſitan commodius exhiberi poſſunt. Specifice a quibusdam Practicis commendatur & magnis laudibus extollitur, Ens ♀is Boylei, quod ex cap. mort. ⊕i & ⊖e ★co ana, ter quaterve de ſuo reſiduo ſublimando, paratur & ad gr. III. vel IV. ordinatur; ſed caute utique cum eodem procedendum & non niſi paulo vegetioribus ſubjectis, ab inſultibus gravioribus febrilibus adhuc liberis, modeſte ordinandum, de reliquo vero ab omnibus volatilibus, calefacientibus & orgaſticis, nec non acidis & ♂tialibus medicamentis, aperientium licet titulo ſuperbientibus & pro hoc ſcopo vulgariter tantopere deprædicatis, ſedulo abſtinendum erit.

§. IV.

Tertiam indicationem impetramus partim per eadem temperata, diaphoretica & diuretica, nempe Eſſent. Alexipharm. Stahl. Pimp. alb. Succin. Lignor. aut Lign. Gvajac. ſaſſafr. ſummitat. Pini, ſerpentar. Virgin. Roriſmar. Trifol. fibrin. nec non TR. ♀i & ♄ii, e qui-

bus

bus tamen nonnisi temperatiora pro tenellulis infantibus seligenda, reliqua vero adultoribus, vel ipsis etiam nutricibus reservanda erunt. Nec prorsus inutilia, quin potius, pro concurrente acrimonia humorum corrigenda & abstergenda, admodum proficua sunt absorbentia teneriora, veluti Mater. perlata Crügneri, modo seorsim parcis & repetitis dosibus exhibenda, modo etiam prædictis potionibus socianda interponendo simul quandoque usum Æthiopis mineralis, a quibusdam Autoribus in rebelli hoc affectu specifice commendati, ita ut aliquot tantum grana illius cum absorbente quodam remisceantur & ita alternis diebus exhibeantur.

§. V.

Tandem ut *quartæ* satisfiat *indicationi*, convenit internis hisce adjungere *externa* lenientia, nervina & roborantia, quorsum non solum thermæ naturales, veluti sunt Carolinæ, Wisbadenses, & Emsenses, sed & artificialia balnea spectant, v. c. Balnea e segmentis coriariorum parata, vulgo Loh-Bäder dicta, item cum nido formicarum confecta, quæ Ameisen-Bäder vocantur, quæ ultima tamen cautius temperatiori calore & breviori tempore ordinanda sunt, ne nimium humorum orgasmum excitare valeant; securiora autem his ipsis erunt ea, quæ ex vegetabilibus emollientibus, nervinis & tonicis parantur, v. c. ex Rad. Alth. Valer. Malv. Cariophillat. Levist. Herb. Mercurial. Branc. ursin. Chamom. Artemis. Rorismar. Serpill. Origan. Antirrhin. Puleg. Salv. Meliss. Menth. Sem. Lin. Nigell. &c. &c. quorum usus singulis ternis vel quaternis diebus, ad dimidiæ vel unius horæ spatium extendendus, repeti potest,

eſt, ita tamen, ut poſt egreſſum ex tali balneo circa articulationes partium, nodis forſitan obſitarum aut incurvatarum, nec non ſpinam dorſi & ipſum abdomen induratum; Linimenta emollientia & nervina applicentur, quæ commodiſſime ex Ungv. de Althea, ♂to, de Linar. nervino, ebulino, potab. rubr. & virid. c. Gum. ★co in ✠to ſoluto remixtis, nec non ſuccis Rad. Bryon. & Apii, ꝏis expr. Lil. alb. Rutæ, chamom. verbaſci, Balſam. Peruv. it. deſtillatis Meliſſ. Menth. Carv. Chamom. & Carpathino combinari poſſunt, ipſis autem durioribus articulorum tuberculis Emplaſtr. de Galb. Diach. compoſ. de Ammoniac. miraculoſ. & de Melilot. cum prædictis ꝏis expreſſis malaxata, imponere licet. His demum per aliquod tempus continuatis, ſi incurvata & rigida hactenus membra quodammodo mobiliora & tractabiliora fieri incipiant, ſubjungendæ ſunt machinæ extenſionem & rectitudinem illarum promoventes & conſervantes, uti ſunt, quoad pedes & brachia, ocreæ ex balæna, aut ferulæ tam ferreæ, quam ligneæ, vel, quæ his commodiores ſunt, ex charta compactiori & denſiori, vulgo Pappen, paratæ, faſciarum beneficio ita adaptandæ incurvatis partibus, ut ſucceſſive, absque inſignioribus incommodis atque doloribus extendantur & in priſtinum ſtatum ſuum redigantur; quoad pectus autem & ſpinam dorſi conveniunt thoraces ex corio & oſſibus Ceti, vel etiam minoribus ferreis laminis confecti, quibus ſucceſſive arctius conſtringi poſſunt hæ partes, & tandem quoad caput, & præprimis colli incurvationem, commodiſſima eſt nova Gallorum machina, fer-

me ad instar capistri formata & *Chapeline de Guidon* dicta, qua mediante infantes de supremo conclavis parte suspenduntur sicque ob pondus corporis agitati, caput iterum in rectitudinem reclinatur. De reliquo, pro impetranda internorum viscerum roboratione, tunc quoque, si præprimis regularis nutritio quodammodo redire videatur, securiora tonica interne propinanda erunt, videlicet Mixt. ton. nerv. Stahl. TRa ⊕ ♂tis Ludov. ♁ diaphor. ♂t. & Crocus ♂tis ♁tus Stahl. ita tamen, ut supra dicta laxantia simul in usum trahantur & quandoque his interponantur.

§. VI.

Quod vero *Spinæ ventosæ* Curationem attinet, summe equidem difficilis illa est, sive lateat, sive pateat ipsum hoc malum; interim tamen ut Medicus pariter ac Chirurgus, quantum fieri potest, suo satisfaciant officio, sequentes ante omnia ab ipsis observandæ erunt indicationes: *I. Ut collecta circa primas vias saburra tempestive removeatur; II. Massa humorum ab impuritatibus serosis acribus debite repurgetur; III. Pars affecta debite mundificetur, abstergatur & sontica illa corruptio ibidem extinguatur, tandemque IV. ad consolidationem perfectam deducatur, aut, si impossibilis illa fuerit, convenienter auferatur.*

§. VII.

Primam indicationem absolvunt vel Vomitoria, in robustis adhuc & evemetis subjectis admodum proficua, ex Rad. Ipecuanh. c. ♀i emet. gr. j. acuata, aut solo etiam hoc ♀o emet. cum ⦶o ♁iato combinato, constantia & præmissis digestivis propinanda; vel pur-

gantia

gantia & laxantia leniora, balſamica ſimul virtute inſtructa, utpote Pilulas ex Extr. Ariſtol. O. Gent. rubr. Pimpinell. alb. Fumar. Trifol. fibrin. Cent. min. Cochlear. Helleb. nigr. Panchymagog. Croll. ☿io dulci Reſin. Gialapp. aut Scammon. &c. paratas, aliquoties etiam ſub ipſa cura poſtmodum repetendas, quarum in locum etiam, ſi lubet, aliæ, e. g. ♀eæ Quercetani, de Succino Cratonis aut Becherianæ cum Extr. Panchym. Croll. & ☿io dulc. remixtæ ſubſtitui, hisque inſuper ſedulo digeſtiva, pro abſtergendis ſimul viſcoſitatibus, interponi poſſunt.

§. VIII.

Alteri autem *indicationi* ſatisfieri poteſt per Infuſa & Decocta tam diluentia, quam reſolventia, abſtergentia, & præcipue ſimul per epicraſin laxantia ex rad. Scorzoner. Chin. Sarſæparill. Pimpinell. alb. Onon Leviſt. Herb. Fumar. C. B. Trifol. fibrin. Cent. min. Agrimon. Capill. ♀is Adianth. alb. Origani, Semin. Fœnic. Dauci, Lign. Saſſafr. Guajac. Junip. Rad. Helleb. nigr. Mechoac. Rhab. orient. Bryon. Fol. Senn. Alexandr. Agar. alb. &c. &c. paranda, interponendo ſimul, in ſubjectis præcipue phlegmaticis atque ſeroſis, uſum Decocti cujusdam lignor. temperatioris, nec non conjungendo, præcipue in reliquis Eſſentias diaphoretico-diureticas, veluti Angel. Imperator. Pimpinell. alb. Vincetox. Lign. Saſſafr. & Succin. nec non TRam ♁ii & ♀i bis vel ter de die ſemper ad gutt. XXX -- XL. exhibendas, quorſum etiam pulveres ex ſalibus digeſtivis abſorbentibus teneriori-bus & ⦶ſis conflati, pertinent, quorum omnium tamen uſum per plures ſeptimanas continuare oportet,

 quo-

quoniam non nisi successive, inprimis in malo usque adeo rebelli, effectum suum exhibere solent. Proinde etiam a quibusdam pro hoc scopo obtinendo masticatoria ex Radice Pyreth Zingib. Pimpin. alb. Mastiche &c. parata, item fonticuli prope partem affectam excitandi & ipsa etiam Vesicatoria aliquoties repetenda, commendantur, sed parum utilitatis directe talia afferunt, adeoque magis præservationis, quam positivæ curationis gratia ordinanda erunt. Tanto magis autem cum salivatione caute procedendum erit, quam plerumque etiam circa hanc indicationem suadent, ne illa vel indiscretim, vel intempestive suscipiatur, nisi concurrens fermentum venereum, vel alius affectus pertinax & inveteratus, eandem exposcat & subjectorum constitutio paulo vegetior & robustior illam admittat.

§. IX.

Quoad *tertiam indicationem* dispiciendum ante omnia est, an corruptio ista fontica adhuc abscondita sit, an vero jam jam aperte pateat: In priori enim casu, ubi dolor supra descriptus ab adhibitis externis discutientibus, resolventibus & lenientibus nihil mitigatur, quin potius de die in diem augescit, sicque latens in herba agnoscitur anguis, cunctandum non est, sed convenit tempestive scalpello ad tumorem magis vel minus prominentem adacto, eundem secundum fibrarum musculosarum ductum aperire, ut postmodum dilatatis labiis ulcus ipsum tanto commodius explorari & repurgari queat. Impetratur autem hoc ipsum per digestiva, purificantia, siccantia & putredini resistentia

eandem-

eandemque corrigentia, inprimis autem graviorem illam offis cariem removentia, qualia funt pulveres ex Rad. Ariftoloch. O. Ireos flor. Bryon. Angel. Peucedan. Thure, Euphorb. parati, ipfi offi, fi qualitas ulceris id permittat, infpergendi, nec non Ungu. fufcum Fel. Würtzii cum pulvere Therebinth. coct. remixtum, quod, juxta BARBETTE commendationem, cariem offium egregie abfumit illamque fimul optime ficcat. Quodfi vero talia ita immediate ad os corruptum applicari nequeant, tunc in forma liquida mediante fyringa fimilia injicienda erunt, quo nomine a prædicto BARBETTE Ωus ⊕i c. ∇ini temperatus, ab aliis vero Euphorbium ∇ini folutum ac cum ∞ Caryophyll. & Balfam. Peruv. temperatum, nec non ☿ dulc. in ∇a Plantag. refolutus, commendantur, cum quorum ufu tamdiu continuandum eft, donec omne vitiofum omneque callofum penitus feparatum atque exemptum fit. Quidam etiam fcalpro tantum raforio, aut terebra, vel cauterio actuali, cariem talem removere volunt, fed hæc ipfa methodus tunc demum in ufum vocari poteft, quando illa vel non admodum magna eft, vel profundius hæret.

§. X.

Quodfi demum fub horum remediorum ufu & fedula continuatione naturalis albicans offium color redeat fimulque folidum, æquale & punctulis rubris undique obfitum appareat, tunc licet, quoad *quartam indicationem*, balfamica, myrrhata, cicatrifantia & farcotica applicare hisque reliquam curam penitus, more confueto, abfolvere. Contra vero, fi omnem il-

lorum

lorum medicamentorum vim eludat corruptio, & partis affectæ conditio permittat, tunc vel portio ossis corrupti caute extrahatur, vel, quod adhuc securius, ipsa pars in regione adhuc sana amputetur & rescindatur, circa quam vero operationem quid potissimum observandum & quomodo perficienda illa sit, ob temporis & chartæ angustiam hic repetere non lubet, cum præprimis fusius hæc omnia a celeberrimis Chirurgis, SCVLTETO, NVCKIO, HEISTERO aliisque jamjam tradita sint, ad quos propterea L. B. remittere lubet.

§. XI.

Interim, antequam Tractationi huic colophonem imponam, paucis adhuc singularem & prorsus insolitam, per experientiam tamen sœpius comprobatam, illam medendi methodum annectere placet, qua in curanda non solum Spina ventosa, sed & omnibus aliis pertinacioribus & Chirurgorum consueta medicamina spernentibus fistulosis ulceribus, usus est Pastor quidam veteranus, in sylvæ, vulgo Wester-Wald dictæ, pago quodam non ita pridem demortuus; hæc autem, prout ex ore Excellentiss. Dni Præsidis habeo, cui testis oculatus omnia retulit, in sequentibus consistebat: Sumebat ille Felem nigerrimi coloris, & detruncato capite omnem ejus sanguinem excipiebat, continuo simul agitando illum, ne concresceret; dein, denuo detracta pelle, carnem cum modica ▽æ fontanæ quantitate tamdiu coquebat, donec omnis facile ab ossibus secederet, hancque postmodum fortiter exprimebat, & succum talem, cum residuo jusculo permixtum, quotidie

tidie ægroto bis vel ter de die, ad aliquot uncias, calide exhibebat; ulceri autem fiſtuloſo ac carioſo, præmiſſis debitis mundificantibus, quotidie parum de ſanguine illius animalis aſſervato immittebat, ſic brevi temporis intervallo peſſimæ indolis corruptiones feliciter ad conſolidationem deducebat, qua de cauſa etiam hanc ipſam methodum ulteriori L. B. dijudicationi & experientiæ nunc relinquere volui, hoc unicum tantum adhuc ſuperaddens, ut durante pariter ac abſoluta hujus & prioris pertractati affectus curatione, ſemper Diæta exquiſita injungatur & obſervetur, cujus præſcriptionem ex iis, quæ de cauſis remotis peſſimorum horum affectum jam jam dicta ſunt, quilibet attentus & judicioſus Medicus facili negotio formare poterit.

F I N I S.



Quis-

QVisquis ſublimes Heliconis anhelat honores,
Et cupit â Muſis cingi ſua tempora Lauro:
Scito, manu ſegni non talia præmia carpi,
Nec callem immeritis pandi, qui ducit ad iſta.
Hoc GEHLERE! ſatis mihi cognoviſſe videris;
Hinc Muſas ſtudio, magnoque ſecutus amore
Inſomnes transegiſti noctesque diesque:
Inde caput permulta tulit, ſudavit, & alſit;
Sed non pœniteat, tales ſubiiſſe labores,
Nam carpes horum fructus & præmia juſta,
Quæ tibi jam digno noſter largitur Apollo.
Gratulor ergo hunc ex animo Doctoris honorem,
Utque ſalutarem ferat hic patientibus uſum
Comprecor, & fundos fortuna ſaginet opimos.

Ita
Nobiliſſ. atque Clariſſ. Domino Doctorando, Hoſpiti ſuo ſuaviſſimo de ſupremis in Medicina honoribus propediem obtinendis, ex animo applaudit & ſucceſſus invidendos ſimul ominatur,

D. ANDREAS ELIAS Büchner/
Inſtitut. Med. Prof. Publ. & Fac. Med. Aſſeſſ. Extr. S. R. I. Acad. Nat. Curioſ. Collega.

